

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 13

Artikel: De solis deliquio, eum Christus de cruce penderet
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394639>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 27.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

De
SOLIS DELIQUIO,

cum Christus de cruce penderet. (*)

Vidimus hodie noctem subito inductam cœlo ; Solis sidus , diei præfectum , cum vigilare debuisset , præter consuetudinem somno oppressum : novo hoc visu obstupescere omnes , terreri multi , nonnulli etiam , qui vani timoris causas ex re qualibet trahere consueverunt , insuavia & dura canere. Quum itaque de hac lucis subtractione omnis omnium sermo sit ; a temporis ratione non alienum fore duxi , si & ego , differendi vicibus ad me revolutis , morientem hunc diem pertractanda ejusdem generis materia clausero.

Delegi autem illud potissimum deliquium , quod Sol passus fuit , cum Christus Sospitator noster de cruce pendulus , generis humani vice pœnas persolveret , & recuperandæ salutis fundamenta jaceret. Quod ostentum tres prioris historiæ sacræ conditores , Matthæus , Marcus , & Lucas memoriæ prodiderunt , ut ne ulla apud nos de ejus veritate dubitatio relinqueretur , quoniam duorum ,

B 5

rum ,

(*) Hanc Prælectionem ex oblata tum temporis occasione recitavit quondam ad d. III. Maii. An. MDCCXV. apud litteratam Amicorum concionem Vir nunc Ecclesiarum Turicensium Antistes summe Venerandus J. C. WIRZIVS.

rum , triumve bonorum testimonio fides haberi debet.

Sed ut ordine procedat oratio , disquiremus primum , quarum regionum cœlum illa tempestate obscuratum fuerit ; deinde , utrum secundum , an præter ordinem naturæ id factum ; tum , quid portenderit ; ac postremo , quid de aliis Solis defectionibus , qualis & hodierna fuit , sit existimandum ?

Pilatus , a concitata multitudine compulsus , Jesum duci jubet : fert ipse patibulum per urbem , aliis casum ejus lacrymantibus , aliis fructum oculis capientibus. Deducitur in collem haud procul urbe situm , tamquam publicum supplicii locum , (qualia Romæ erant Sestertium & Gemoniarum) Golgotha appellatum , sive a calvariis & ossibus hominum , qui ob scelera sua ibi morte multari , & humari consueverant ; sive potius a figura , quod vertex collis cranii formam habuit , attestantibus antiquitatum studiosis , & Libris Itinerariis. Cum illo ventum esset , milites cruciarium vestibus exutum , patibulo superimposuerunt , & brachiis expansis , ambas manus in ligno crucis transverso clavis adfixerunt ; pedes vero ligno cuidam ab hasta seu erecto tigno crucis justo loco prominenti , velut basi , insistentes , & juxta se positos , itidem clavis firmaverunt. Pendebat igitur inter duos latrones medius , qui sceleratissimos homines , & orci victimas , dum commissorum serio pœniteret , potestate dæmonis ereptos , & sibi adsertos cupiebat. Pendebat inter cœlum & terram , cœlum terræ , Deum mortu-

mortalibus reconciliaturus. Ludificabant eum maximi, medioximi, & imi. Ut vulgus præteritorum cito obliviscitur: sic diversa Jesu fortuna omnia ejus beneficia Hebræorum animis excussit. Ipsi principes, quorum erat compescere plebem, ne afflicti cruciatus convitiis auferent, insultare misero, præsentis rerum statu objecto, & in sinu gaudere cœperant, quod adeo contemptum, derisum, & punitum viderent eum, quem paullo ante cuncti suspexerant. Verum vix eriguntur furcæ, & probra evomuntur, quum tenebræ fiunt super universam terram; tenebræ, non quales oriri solent, cum nox appetit, aut interdiu cœlum atris nubibus obducitur; sed medio & fereno die infusa caligo, & lux soli adempta est. Tenebræ invaserunt, non ita densæ aut horribiles, ut illæ in Aegypto, sed quales nocte sideribus illustri; milites enim & se, & arundinem, & spongiam, & cetera vidisse legimus. Ridiculus sit, qui universum terrarum orbem, vel totum telluris globum obscura cœli umbra repente pressum existimet. Nam cum multis in partibus dies non erat, sed nox, non necesse fuit, ut illic fierent tenebræ. Quare illæ intelligendæ partes, quas tum dies occupabat, & sol fulgore suo collustrabat. Quæras autem, cum in Veteri & Novo Codice Sacro terra nunc Judæam, nunc universum illud mortalium domicilium significet, quomodo hoc loco sit accipiendum? Ego prodigium hoc non Judææ peculiare fuisse, sed latius se extendisse credo; nec quidquam causæ esse video, cur verbis Græcis tam angustum tribuamus sensum. Verum si ita esset, procul dubio hujus ostenti meminissent rerum gestarum scriptores.

Immo

Immo meminerunt. Veteres namque, qui siderum motus, & temporum vices ostendebant, hanc caliginem adnotarunt, nullo addito loci nomine. Unde late eam patuisse datur intelligi, nec de sola Judæa accipi posse. Phlegon, Hadriani libertus, Olympiadum XIII. Anno quarto, inquit, Olympiadis CCII. (qui fuit annus octavus decimus regnantis Tiberii, & emortualis Christi) fuit Eclipsis Solis, omnium quæ ante innotuerunt maxima, & nox hora diei sexta facta est, ita ut stellæ in cælo apparerent: magnus item terræ motus in Bithynia factus, magnam partem Nicææ evertit. Terræ motus locum nominat, tenebrarum non nominat: & cum majores ante visis memorat, ita ut mero meridie velut nox esset, satis demonstrat non fuisse proprium Judææ hoc spectaculum. Eusebius Græcum alium citat, cujus nomen reticet, ita scribentem de hac ipsa re: Sol deliquium passus, Bithynia concussa, magna pars Nicææ everfa est. Quem Scriptorem Eusebio non nominatum Viri docti suspicantur Thallum fuisse, cujus mentionem facit Africanus. Tertullianus in Apologetico fidenter: Tamen suffixus, ait, multa mortis illius propria ostendit insignia. Nam spiritum cum verbo sponte dimisit, prævento carnificis officio. Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt. Et tamen eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis. Ubi non video, cur Archiva alia, quam Acta publica Romana accipiamus: ad quæ, ni fallor, & Lucianus martyr provocat apud Eusebium. Et cum mundi casum vocat, nonne satis cavet, ne
 Judææ

Judææ peculiariis crederetur? Quare *πάσαν τὴν γῆν*, universam terram hic ita sumendam esse arbitror, ut apud Lucam 2: 1. *πάσαν τὴν οἰκουμένην*, de orbe Romano, aut certe de potissima ejus parte.

Obscuratio porro hæc Solis ordinem naturæ supergressa, & tota miraculosa fuit. Etenim docent nos, qui siderum motus investigant, & naturæ spectant origines, Lunam quandoque impedimento esse, quo minus Sol radios suos ad nos directe projiciat, quoties nempe opacum Lunæ corpus solem subit, hoc est, inter Solem & visum nostrum interponitur, ita ut Sol vel totus, vel ejus quædam pars, aliquamdiu non possit conspici. At defectio Solis, quæ tempore passionis Dominicæ accidit, eandem causam, similemque modum non habuit. Tum enim Judæi dies festos celebrabant, memoriæ exitus majorum ex Aegypto sacros. Celebrabant autem divinis legibus, quum orbem Lunæ sidus impleverat; quo tempore Sol Lunæ opponitur, non vero in eadem cœli regione ei conjungitur, ita ut inter Solem & Terram nihil sit medium, quod ejus nitorem intercipiat. Sed fortean ex maculis, ex crassioribus & tardioribus particulis, quæ in Sole sunt, in ejusque superficie cohærentes, aliquantisper ibi manent, hæc Eclipsis originem suam habere potuit? Sunt equidem, qui non in aliam causam, quam in maculas istud prodigium refundi posse, adserunt. Sed frustra: quippe maculæ, quas diximus, numquam totum Solis globum tegunt, nec proin omne nobis lumen eripiunt; id quod tamen, Christo animam agente, accidit.

Acco

Accedit, quod Sol nitorem sideris sui condidit per tres horas continuas. Quis hoc vel de maculis cogitet, vel de Luna? Cum omne Solis deliquium moram respuat, & tantum duret, dum Luna Solem transeat; quod brevissimo tempore facit. Si porro hic nihil accidit, quod non a viris cœlestium peritis prævideri potuit, quid, quæso, attinebat, posteris isthæc relinqui tamquam rem inusitatam & prodigiosam? Quid ergo? Suspicientur alii, vel Lunam immotam constitisse sub sole, vel solito lentius progressam, vel illuminandi virtutem cohibitam, quemadmodum alias vis urendi cohibita fuit. Nos hic lubentes ignorantiam fatemur nostram. Naturæ Auctor, præter naturæ ordinem, Solem velo quodam textit; quodnam id fuerit velum, parum curiosi sumus. Vel clarius ut dicam, Sol vere luminis tum passus est deliquium, luxque illi debita, vere detracta fuit. Ipse solus vero qui fecit, modum facti novit. Nostrum non est, *ἄ μὴ ἐωράκαμεν, ἐμβατεύειν*, irrupere in ea, quæ non vidimus, ne infinitam Numinis potentiam nostro pede metiri velle videamur.

Cum itaque naturæ leges summus illarum conditor hic valere noluit, nemini dubium esse potest, quin his tenebris magnum quid significatum voluerit. Ego omnino arbitror, non ad Judæos tantum pertinuisse hoc ostentum, quorum vates tristissima tempora Solis caligine depingunt, sed ad alias etiam gentes: nam hoc quoque inter ea fuit, quibus Centurio Romanus in stuporem datus est. Quare ea significatio jure quodam suo principem obtinet locum, quæ quam latissime potest

potest intelligi. Apud omnes autem populos receptum erat, ut crederent talibus ostentis scelus aliquod insigne patratum indicari. Nota est Cœna Thyestea, ubi Seneca: O nos dura sorte creatos! Seu perdidimus solem miseri, sive expulimus. Eodem pertinet illud Phœdræ: Tuque siderum caput, radiate Titan, tu nefas stirpis tuæ speculari? Lucem merge, & in tenebras fuge. Unde & nos de homine perditissimo dicere consuevimus, non dignum esse, quem Sol illuminet. Voluit itaque Deus hac ratione detestari immane Judæorum facinus, atroci supplicio adficientium innocentem, sanctum, justum, omnibus denique virtutibus ornatissimum, qui venerat miseros mortales æternis suppliciis liberaturus. In summo & Judæorum, & Romanorum scelere, recte summa caligo fuit. Oculum mundi, & principem rutilantium stellarum pudet flagitii; subducit lucem, ne flagitiosis lucis osoribus, qui tantum audebant facinus, lucere debeat. Si populus adspectans clamavit: Quid hoc sibi vult? Quid tandem de nobis fiet? Quid cœlum in tantum mœrorem conjicit? Qui sit, ut Sol medio die tam subito diem subtrahat? Continuo responsum fuit: O stolidam & perversam gentem! lugubrem vestem cœlum sumit, quia dominus cœli patitur: Condit lucem suam, ne videat emori auctorem lucis. Sola hæc verba: Deus mi, Deus mi, cur dereliquisti me? Sufficiebant micanti Soli contegendo, & totius universi compagi perturbandæ. Quia nulla in hominibus misericordia, cœlum velut in lacrymas effunditur, & inanimata lugent. Sol justitiæ occasui proximus erat: Sol conditus prior occidit. Filius Dei tormina per-

sensit,

fenfit ; quæcumque omnis vis turbaque orci , ef-
 frenata jam & laxata catena , in eum accumulare
 poterat , ut se vix sustineret : Quare spiffis Sol
 mergitur tenebris , ut illucescat paullo post clari-
 or. Ceterum Judæis peculiariter ostentum hoc
 portendebat interitum rei publicæ , abrogatio-
 nem sacrorum , mentis indurationem & excæca-
 tionem. Olim Aegyptiis tenebræ erant , Israeli-
 tis contra lux : Quo illis exitium , his libertas ,
 significabatur. Nunc contra fit , Deo Judæis sum-
 mam cæcitatem , ceteris vero gentibus lucem
 Evangelii exorituram , significante. Proinde in
 memoriam Judæis revocabantur verba Amosi :
 Per illud tempus Sol meridie occidet , & terra fe-
 reno die obscurabitur. Festivos dies vestros in
 lugubres , & cantica vestra in epicedia convertam.
 Omnes lumbos ciliciis induam , & capita cuncto-
 rum calva erunt. Tantum iis luctus & sollicitu-
 dinis adferam , quantum esse solet , cum filius
 unigena plangitur : & exitus eorum diei funesto
 similis erit.

Utrum vero defectiones Solis aliis quoque tem-
 poribus , si non pares , at similes , iræ divinæ
 adversus graviora peccata significationes exstiterint ,
 hodieque existant , non eadem omnium est sen-
 tentia. Veteribus Christianis constanter id credi-
 tum. Unum adferam testimonium Tertulliani ad
 Scapulam : Omnia hæc signa sunt imminentis iræ
 Dei , quam necesse est quoquo modo possumus ,
 ut & annunciemus , & prædicemus , & deprece-
 mur , interim localem esse. Universalem enim
 & supremam suo tempore sentient , qui exempla
 ejus aliter interpretantur. Nam & Sol ille in con-
 ventu

ventu Uticensi extincto pæne lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate & domicilio. Habetis Astrologos. Sed liquet ex his verbis, veteres majores & minores Eclipses distinxisse, & illas dumtaxat, quæ aliquid ultra ordinarium deliquium habere videbantur, iræ divinæ nuntias existimasse. Id quod non prorsus rejiciendum arbitror. Fieri enim potest, ut Deus ei, quod secundum naturæ leges accidit, jungat aliquid, quod leges naturæ superat, ad denunciandam ingratis mortalibus iram suam. Neque causa caret, quod Scriptores Sacri, quotiescumque funestissima & exulceratissima tempora intelligi volunt, Solis ac Lunæ obscuracionem memorant. Ceterum uti non negaverim, subitanam in cælo commutationem non exiguam quoque in frugibus terræ; & animantibus cum ratione præditis, tum ea destitutis commutationem consequi posse: ita numquam mihi probantur, qui ex siderum defectione, secundum ordinem naturæ facta, & ab Astrologis prævisa, varios in orbe motus, mortes regum, exitialia bella, contagiosas lues, & quid non? futura prædicunt, qui istis in rebus gravissima pietatis momenta sita esse putant, qui superstitiosam plebem, quæ rerum novarum objectu facillime inclinatur, istiusmodi terriculamentis in officio continere adlaborant. Ipse Deus legibus suis cavit, ne hoc fieret, vetans ex cæli prodigiis inanem timorem concipi, & longe alia pietatis commendandæ ac inflammandæ adjumenta præscripsit. Si quis iræ divinæ vestigia quærat, non opus esse duco, ut ad incerta hæc indicia recurrat. Contempletur

potius crassissimas ignorantiae, superstitionis, ac
 pravæ lubricitatis tenebras, quibus totus propemo-
 dum orbis, etiam Christianissimus, immersus est.
 Hoc est certissimum imminentis iræ signum; quia
 Deus eo nos punit, quo delectamur. Et quotus-
 quisque est, cujus mens non illicitis distrahat
 cupiditatibus? Exorandus itaque Deus, ut has
 quasi nebulas abstergat, & primigeniam lucem
 reddat.

